



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Imitabatur Apostolos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

Hæc de Obedientia, pietateq; erga societatem  
 Canisij: cuius singularem modestiam, ac submis-  
 sionem satis etiam studium precum declarat. Ut  
 quisq; enim maximè diffidit viribus suis, ita stu-  
 diosissime ad facienda vota confugit, per quæ cõ-  
 ciliet alienas. Vocatus ergo ad institutum hoc  
 quærendarum Deo animarum, altè sibi demisit  
 in pectus, ac sæpe cogitatione versabat, nihil ve-  
 rius esse, quam quod vnicus affirmavit Magister,  
 Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum  
 multum. Quamobrem frequẽtem, aut assiduum  
 potius Orationis studium adhibebat. Id quippe  
 necessarium existimabat, vt & ipse, qui semina-  
 bat; & is, qui bonum semen excepturus esset, gra-  
 tia Dei præueniente, & cooperante, & subsequẽ-  
 te iuuaretur, qua veluti cęlesti pluuia terra quam-  
 uis sterilis perfusa, & irrigata nõ raro salutare fru-  
 ctus efferret. Per sacram vero Orationem non ac-  
 cipi modo, & conseruari, sed augeri, ac perfici o-  
 mne donum, quod à Patre illo luminum tribui-  
 tur, cum extet Veritatis oraculum, Petite, & acci-  
 pietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Intueba-  
 tur Apostolorum exempla, & in primis Doctoris  
 Gentium, qui perpetuam cum Ministerio suo fa-

*Orationis stu-  
 dium in Cani-  
 sio quæritur.*

*Necessitatem  
 orationis consi-  
 derabat ad lu-  
 crã animarũ.*

*Imitabatur  
 apostolos.*

*Et P. Petrum  
Fabrum.*

ciendarum precum consuetudinem studiose cō-  
iunxerant. Igitur non vniuersè modo, sed ad sin-  
gulas actiones implorandę opis diuinę adiunge-  
bat curam, neq; eam rudem, ac simplicem, sed ex-  
imiam, atq; multiplicem. Hauserat penitus om-  
nes à Petro Fabro eminētissimo huius discipline  
Magistro obseruatas vias; præsertimq; iis vteba-  
tur in conciliandis hominum animis, & itineri-  
bus faciendis. Nam quemadmodum qui vulgo  
ad cuiuspiam gratiam tendunt, per eius propin-  
quos, ac necessarios facile aditum sibi aperiunt,  
ita animarum Apostolicus captator agendum si-  
bi statuebat esse cum Deo, sanctaque Deipara, vt  
cum illarū parentibus: deinde cum Sanctis, apud  
quos præcipua singularum earum tutela esset, tã-  
quam cum fratribus, ac sororibus: denique cum  
Angelis cuiusq; custodibus, velut cum Pædago-  
gis, ac Magistris. Multum autem in custodibus  
hominum exorandis Angelis reponebat, quod  
multifariam ij præparare, quibuscum agendum  
est, animos; vimq; inimicorum, & oppugnatio-  
nes arcere possint, ac vincere.

*Pulchra oran-  
di ratio in istis  
verbis.*

In habendis verò itineribus obuia quęque, vt  
sic dixerim, expiabat, & consecrabat. Nam cum

Mon-